



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De rebus post meridiem agendis. Cap. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

quantulum naturæ nostræ recreationi proficiant. Nimis ergo seria & grauiâ tunc omittenda sunt, aut si aliquid serium se offerat (quod non semel se offert) amicabiliter iucundè que tractandum. Aliquid ex lectione mensæ, quod magis arripit, commemorabis, exemplum ædificationis vel antiquum vel modernum in narrationem adduces, aliquis Scripturæ locus quomodo sit vernacula lingua vertendus, disputabis, virtutes nunc viuientium, vel Prælatorum, vel seniorum, si ipsi non audiant, laudabis, & quàm sint dignæ imitatione, propones, aliquid etiam interdum indifferens in colloquium admittes, atque omnia illa huic tempori apta sunt, quæ in prima huius operis tractatione collecta reperies. Ita tamen hæc & alia huiusmodi in hac hora conferantur, vt nec quasi concio instituat, nec quasi disputatio texatur, sed quidquid illud fuerit, quod in sermonem vocatum est, hilariter & festiuè tractetur. Ita enim natura nostra oratione, & assidua præsentia Dei, & lectione frequenti, & ministeriorum pondere prægrauata, se exonerat, & vires ad resumendos labores recuperat.

Tom. 1.  
lib. 5. p. e.  
23.

Dato signo, sermonem etiam ceptum abscondes, & ori tuo silentij custodiam impones, & tacens simul cum aliis, ad Dominum in Ecclesia sub speciebus sacramentalibus præsentem ibis. Hæc enim remissionis hora spirituales viros, qui toto die à non necessariis tacuerunt, & strenuè laborauerunt, excipit. Si autem tu manè & vesperi verba inutilia proferas, & cor tuum in noxiis, aut superfluis effundas, indignum profus remissione te facies. Ibis ergo ad Ecclesiam tacens, & Dominum quanto potueris feruore conualutabis: si aliquid vel in sumendo cibo, vel in mutuo colloquio erratum fuerit, de eo dolebis, ac veniam humiliter postes, ac gratiam ad sanctè viuendum, & strenuè laborandum, in sequenti parte diei, quæ ab hac hora incipit, postulabis.

SECTIO II.

De his quæ vesperi fiunt.

De rebus post meridiem agendis.

CAPVT I.



**A** hac hora, quæ est prima post meridiem, incipit secunda diei pars, quam dilatato vocabulo vesperam appellamus, in qua occupationibus prædictis inuendimus. Nam & horas canonicas ad hoc tempus pertinentes recitamus, & literis studemus, & ministeria spiritualia & temporalia pro qualitate personarum obimus, & multi iterum ad noctem mentaliter oramus, & moderatam cœnam, aut refectiorem aliquam accipimus, & nonnullam quietem captamus, & omnes antequam cubitum eamus, conscientiam discutimus. Hæc ergo omnia, eodem modo ac dictum est, sunt in opus producenda, nisi quod tanto purius & feruentius exequenda sunt, quanto magis mors appropinquat, ac tempus reddendæ rationis. Ita ergo actiones istæ vesperi fiant, vt errata similium actionum, quæ manè factæ sunt, suo feruore & diligentia suppleant. Præter ista autem opera sunt alia omnibus religiosis communia, quæ nos ordinariè post meridiem exequimur, de quibus nunc ad legendum eruditionem sigillatim tractabimus.

De lectione spirituali.

CAPVT II.



**L**ECTIOMI spirituali quotidie instendum est, vt ea, tamquam instrumento præcipuo ad perfectionem obtinendam, noster spiritus prouocatur. Spiritualem autem lectionem vocamus, quæ mysticos libros, & spirituales tractatus enoluimus, in quibus non solam rerum spiritualium notitiam, sed multo magis earum gustum & affectum querimus. Hæc nobis ex regula, atque ex perpetua & inuolabili consuetudine iniuncta est, cui quotidie & communiter post meridiem intendimus: & non solum nobis, sed & omnibus religiosis, ex quibus nos eam didicimus, commendata. Nam & Benedictus in Regula, lectionem spiritualem præcipit in hæc verba: Omni tempore siue ieiunij, siue prædij, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum, & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliquid, quod ædificet audientes. Et paucis interpositis: Mox accedat ad lectionem collationum, & lectis quatuor aut quinque folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis: si quis fortè in assignato sibi commissio fuerit occupatus, occurrat. Magnus quoque Doctor Bonauentura eam commendat suis fratribus, qui in speculo disciplinæ inter alia, sic scribit. De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimitendum est, quod fidelius digeratur, & rursum reuocatum crebrius ruminetur, quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat. Nullus verò erit in cœtibus religiosis (vt credo) qui hos Patres audiens, tempus ad libros spirituales legendos, de cætero non sibi præscribat.

B

C

D

E

Nec existimandum est hanc lectionem aut solis imperitis, aut solis imperfectis iniungi, immò sciendum, omnibus sapientissimis quoque & perfectissimis assumendam proponi. Literati ea indigent, si nõ vt noua sciatur, at vt ad scita exequenda se moueant. Et multa sterili cognitione scimus, quæ lecta voluntatem afficiunt, & ex affectu ea non solum ad scientiã, sed ad actionem cognoscimus. Perfecti etiã lectione egent, quia nunquam adeo perfecti sunt, vt amplius perfici & promoueri non possint. Lectio verò maiora perfectionis amplioris desideria ingerit, & gradus eius altiores ostendit. Atque vtriusque tam doctis quam perfectis Salomon lectionis vsum monstrat, dicens: Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Quis sapiens, nisi scientia peritus? & quis intelligens, qui possit gubernacula possidere, id est gubernatoribus imperare, nisi perfectus? Sed ille ex lectione maiorem sapientiam, & iste ad docendos alios ampliores gustum sapientiæ percipiet. Certe Thomas Aquinas sapiens & perfectus erat, immò & sapientissimorum magister egregius, & mirabilissimum perfectionis exemplar, de quo tamen hæc scripta sunt: Est autem hoc quoque in sancto viro memorabile, quod cum ei esset integrum, libenter solitus fuerit aliquid in Patrum collationibus lectione, ne ex rerum subtilium speculatione, affectus eius non nihil tepesceret, postetque se rursus facilius ad diuinam contemplanda colligere & erigere. Sanctissimus autem vir non sine exemplo lectioni spirituali vacabat. Vnde ibidem subditur: Et in hoc quidem sanctum Dominicum sectatus est, quem eius libri lectione constat magnopere fuisse delectatum, & ad magnam vitæ perfectionem incitatum atque promotum. Quis nunc

Reg.  
B. Ben-  
dicti, c.  
42.

Bona-  
uent. 2.  
c. 7.

Prov. 1.  
5.

In vita  
eius apud  
Sur. in  
Martio.

prætextu